

ARNOLDI FERRONI BURDIGALENSIS, REGII CONSILIARII,  
DE REBUS GESTIS GALLORVM  
LIBRI IX.

AD HISTORIAM PAULI AEMILIJ  
*additi. Perducta historia usque ad tempora  
Henrici II. Francorum Regis.*

*de la Libr. N<sup>e</sup>.*

*num. 23. cap. 8. num. 32.*

PARISIIS

*Apud Vascosanum, uia Iacobæa ad insigne Fontis.*

M. D. L.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

2

P R A E F A T I O .

*Væ res magno atque excellenti ingenio  
 Q homines olim ad monumenta rerū ge-  
 starum posteris tradenda excitarunt;  
 hæ ipsæ quin me ab hoc instituto reuocarint, parū  
 abfuit. Partim enim laudis studio ducti, cum esse  
 hanc unam quæ tantos labores posteritatis memo-  
 ria consolaretur, intelligerent; partim studio illu-  
 strandæ patriæ, præmijsque à populis, Regibúsue  
 propositis; partim studio ueritatis proponendæ, si-  
 milibúsque alijs causis, exempla ut proponerent po-  
 steris, unde quod imitarentur acciperent, id aggres-  
 si sunt. Ac mihi quidem laudem sperare hoc secu-  
 lo, cuius ea hæctenus labes & macula fuit, aliorū  
 labores aut ridere, aut contemnere, suos sine riuali  
 laudare, sani hominis non uidebatur. Illustrandæ  
 autem patriæ consilium, etsi optimum, seponēdum  
 semper ab hoc scribendi genere putabamus. Præ-  
 mia autem nulla hoc tempore industriæ constituta  
 uidimus. Quippe illa honore, liberalitatēque alitur.  
 Ea ubi dempseris, parum sibi constant industriæ  
 fructus. Nunc uerò cum diuitijs magni laudabilēs-  
 que homines fiant; ingenium, eloquentia, constan-  
 tia, integritas refrixisse uidentur, omnesque indu-  
 striæ fontes exaruisse: præsertim cū ad ingenij lau-*

ARNOLDI FERRONI BYRDIG A  
LENSIS, REGII CONSILIARII, DE  
REBUS GESTIS GALLORVM  
LIBER I.

**M**ortuo Britannorum Regulo, bellum Bri-  
tanicum, quod iam extinctum esse uide-  
batur, repente renouatum est. Proceres Bri-  
tannici dum dissentiunt de Anna Britan-  
ni filia collocanda, id bellum excitarunt.

Nam pars Alanum Alebretum Aquitanum multorum  
oppidorum dominum praeferbat, isque uoluntate pa-  
tris cum ea matrimonium contraxisse falso iactabatur,  
priori die quam is decederet: sed repudiante Anna, ua-  
num eorum erat studiū. Pars tacite Gallo studebat: pars  
Maximilianum Federici Caesaris filium ad eas nuptias  
aperte uocabat, non solum praesidio futurum (si quid ad-  
uersi à Gallis accideret) sed libertatem etiam Britanni-  
cam confirmaturum. Nec ignota eorum studia Gallo.  
Vltro citroque legationes misse sciebat. Iam omnia com-  
posita ex animi sententia Maximilianus coniectura au-  
gurabatur, totamque Britanniam animo inuaserat. Iam  
matrimonij nomine potitus parte Galliae opulentissima,  
Belgarumque principatu, quid non speraret adiuncta Bri-  
tannia? Diu deliberatum est apud Gallos, quae ratio ini-  
retur depellenda huiusce procellae. Cunctatio Maxi-  
miliani consilium confirmauit. Adhibiti in consilium pru-  
dentissimi homines, ita statuerunt: & Maximiliani af-  
finitatem repudiandam, & Annae nuptias Regi matu-  
randas: praesertim cum potentissimi uicini dominatus peri-